

1529 demque Imperatorem Carolum V. pacis, ac tranquillitatis cupidissimos, ut ad communem concordiam gradum struerent, inter se primo fœdera junxisse: deinde cum Francorum, & Anglorum Regibus æquas pacis conditiones firmasse: demum posteaquam Cæsar in Italiam venisset, nihil magis antiquius illis fuisse, quam ut certo loco de communibus Reipublicæ Christianæ rebus colloquerentur; idque ut citius fieret, Clementem Pontificem Maximum Bononiam se contulisse, atque Imperatorem paterno amore, ut par erat, complexum: cumque ambo id maxime optarent, ut ad pacem cunctos Chri- sticolas allicerent, rebus Insubrum compositis, ac Francisco Sfortiæ Mediolanensi ducatu restituto, ad pacem, & concordiam Venetorum Rempublicam, cujus semper in pacem propensus animus fuisset, tanquam potissimam Italiæ partem, adducere statuisse, ad eam rem Gaspari Contareno oratori facultate a Senatu impertita: quapropter inter Cæsarem, Regem Ferdinandum, Venetorumque Rempublicam ad hæc fœderis pacta devenitum fuisse.

I. Primum Ravennam, ac Cerviam, Flaminie urbes Veneti Pontifici traderent: quæ illis in locis jura obtinerent, reservarentur: a Pontifice illarum civibus, qui partes Reipublicæ sequuti fuissent, parceretur; & ubicumque degere maluissent, bonis suis frui, de illisque, ut libuisset, statuere liceret: patricii, cives, aliique Venetorum subditi, qui in illis urbibus, atque agris res, aut proventus possiderent, libere annuos fructus percipere, & quocumque iis liberet, sine ulla novi vectigalis solutione deferre possent: a Pontificiis magistratibus jus exigere; exactumque redderetur: quæ post pacem jurejurando firmatam quindecim dierum intervallo perficerentur.

II. Deinde mense januario Cæsari Tranium, Monopolis, atque alia castra, oppida, agri, quæ in Neapolitano regno Respublica obtinet, restituantur. Contra vero omnia jura, privilegia, immunitates, exemptiones, prærogativas, atque alia Venetis a Regibus Neapolitanis concessa, uti illis ante bellum fruebantur, Cæsar confirmet: domum præterea in Neapolitana urbe sitam, quæ Sancti Marci nuncupatur, restitui jubeat.